

1.3.9

Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. Tatiano pp.

Nulla nisi emensis sexaginta
annis secundum praeceptum apostoli ad diaconissarum
consortium transferatur.

D. XI k. Iul. Mediolano Valentiniano A. IIII et Neoterio cons.

[a. 390]

1.3.10

Impp. Arcadius et Honorius AA. Theodoro pp.

Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in ecclesias
catholicas inruens, sacerdotibus et ministris
vel ipso cultu locoque aliquid importet iniuriae,
quod geritur, provinciae rectoribus animadvertatur.
1 ¶ Atque ita provinciae moderator sacerdotum et
catholicae ecclesiae ministrorum, loci quoque ipsius
et divini cultus iniuriam capitali in convictos sive
confessos reos sententia noverit vindicandum nec expectet,
ut episcopus iniuriae propriae ultionem deposcat,
cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit:
sitque cunctis laudabile factas atroces sacerdotibus
aut ministris iniurias veluti publicum crimen persequi ac de
talibus reis ultionem mereri.

2 ¶ Quod si multitudo violenta civilis apparitionis exsecutione et
adminiculo ordinum possessorumve non potuerit praesentari,
quod se armis aut locorum difficultate
tueatur, praesides provinciarum etiam militari auxilio
per publicas litteras appetito competentem vindictam
tali excessui imponere non morentur.

D. VI k. Mai. Mediolano Honorio A. IIII et Eutyichiano cons. [a. 398]

1.3.11

Idem AA. Eutyichiano pp.

Ecclesiis, quae in possessionibus, ut adsolet, diversorum, vicis etiam
vel quibuslibet locis sunt constitutae, clerici non ex
alia possessione vel vico, sed ex eo, ubi ecclesiam
esse constiterit, ordinentur, ut propriae capitationis
onus ac sarcinam recognoscant: ita ut pro magnitudine
vel celebritate uniuscuiusque vici ecclesiis
certus iudicio episcopi clericorum numerus ordinetur.

D. VI k. Aug. Mnizo Honorio A. IIII et Eutyichiano cons.

[a. 398]